

8
77

Original 00

4

PARACLESIS

ID EST, ADHORTATIO AD
sanctissimum ac saluberrimū Chris
tianæ philosophiæ studiū,
ut uidelicet Euangelicis
ac Apostolicis literis
legendis, si non
sola, sal
tem prima cura
tribuatur, Authore
DES ERAS. ROT.



PARACELSUS

DE REBUS MEDICIS

LIBER PRIMUS

DE VITAE

DE VITAE

DE VITAE

DE VITAE

DE VITAE

DE VITAE

50



ERASMI ROTERODAMI PA
RACLESIS. ID EST, AD
HORTATIO AD CHRI
STIANAE PHILOSO
PHIAE STV
DIVM.



ACTANTIVS
ille Firmianus, o
ptime lector, cu
ius linguam unice
miratur Hieroni
mus, Christianæ
religioni patrocini
naturus aduersus
Ethnicos, cū pri
mis optat sibi da
ri eloquentiam,

Tullianæ proximam, improbum ratus, opi
nor, optasse parem. At ego sane, si quid hu
iusmodi uotis proficitur, tãtis per dum mor
tales omneis ad sanctissimum ac saluberr
mum Christianæ philosophiæ studium ad
hortor, ac ueluti classicum canens euoco, ue
hementer optarim eloquentiam mihi dari,
longe aliam quàm fuerit Ciceroni, si minus
picturatum quàm fuit illius, certe multo ma
gis efficacem. Imò si cui unquàm talis conti
git dicendi uis, qualem non om̃ino sine cau
sa, ueterum poëtarum fabulæ subnotarunt in

Optat elo
quentiam
efficacē.

A 2 Mercurio

Mercurius.
us.

Mercurio, qui ceu magica uirga, diuinæ cithara somnū immittit cum libet, & idem adimit, quos uult ad inferos impellens, ac rursus ab inferis euocans, aut qualem signarunt in Amphione Orpheoque, quorum alter rigida mouisse saxa, alter quercus & ornos traxisse cithara, fingitur, Aut qualē Ogmio suo

Hercules.
Celticus.

tribuebant Galli, mortales omneis catenulis à lingua in aures infixis, quo uellet circūducenti. Aut qualē Marsyæ fabulosa tribuit antiquitas. Aut certe, ne nimium diu fabulis im-

Socrates.
Alcibiades.
Pericles.

moremur, qualē Socrati tribuit Alcibiades, Pericli uetus comœdia, quæ non aures tantū mox peritura uoluptate deliniat, sed quæ tenaces aculeos relinquat in animis auditorū, quæ rapiat, quæ transformet, quæ multo alis

Timotheus.

um dimittat auditorem quàm acceperit. Timotheus musicus ille nobilis Dorios occinēs modos, Alexandrum Magnum ad belli studium inflāmare solitus legitur. Neq; defuerunt olim, qui precaminibus, quas Græci uocant *ἐπιωσάδες*, nihil durent efficacius. Quod si quid usquàm esset huiusmodi generis incantamenti, si qua uis harmoniæ, quæ uerum habeat *ἐνθουσιασμόν*. si qua Pitho uere flexanima, eam mihi cupiā in præsentia suppeterere, quorem omnium saluberrimā omnibus persuadeam. Quanquàm illud potius optandum, ut

ut Christus ipse cuius negocium agitur, ita ci-
 tharæ nostræ chordas temperet, ut hæc canti-
 lena penitus afficiat ac moueat animos omni-
 um. Ad quod quidem efficiendum, nihil opus
 rhetorū epicherematis, aut epiphonematis.
 Hoc quod optamus, non alia res certius præ-
 stet, quàm ipsa ueritas, cuius quo simplicior,
 hoc efficacior est oratio. Ac primū quidem
 nō libet in præsentia refricare querelā illam,
 non omnino nouam, sed heu nimīū iustam,
 & haud scio an unquā iustiorē quàm hisce
 temporibus, cum tam ardentibus animis in
 sua quisq; studia mortales incumbant, hanc
 unam Christi philosophiam à nonnullis etiā
 Christianis rideri, à plerisq; negligi, à pau-
 cis tractari, sed frigide, nō enim dicam in syn-
 cere. At in cæteris disciplinis omnibus, quas
 humana prodidit industria, nihil est tam ab-
 ditum ac reclusum, quod non peruestigarit
 ingenij sagacitas, nihil tam difficile, quod nō
 expugnarit labor improbus. Qui fit autem,
 ut hanc unā philosophiā, non his quibus par
 est, animis amplectamur, quotquot ipso etiā
 cognomine Christi nomen profiteamur: Pla-
 tonici, Pythagorici, Academici, Stoici, Cyni-
 ci, Peripatetici, Epicurei, suæ quisq; sectæ do-
 gmata, tū penitus habent cognita, tū memo-
 riter tenent, pro his digladiantur illi, uel emo-
 rituri

Veritatis
 oratio q̄
 simplicior
 or hoc ef-
 ficacior.

Philoso-
 phia.
 Christi
 neglecta

Philoso-
 phorum
 gentiliū
 peritia.

6 DES ERASMI ROT.

Christia-
norum so-
cordia.

Christus.

Peregrina
na placet
in somnijs
homincu-
orum dis-
torques
unt.

rituri citius, quam autoris sui patrocini-
um deferant. At cur non multo magis tales ani-
mos præstamus authori nostro principique
Christo? Quis non uehementer foedum cen-
seat Aristotelicam profitenti philosophiam,
nescire quid uir ille senserit de causis fulmi-
num, de prima materia, de infinito? quæ nec
cognita felicem, nec ignorata reddunt infeli-
cem. Et nos tot modis initiati, tot sacramen-
tis adacti Christo, non foedum ac turpe puta-
mus illius nescire dogmata, quæ certissimam
omnibus præstent felicitatē? Nam quorsum
attinet hic contentiōe rem exaggerare, cum
hoc ipsum impiæ cuiusdam dementiæ sit,
Christum cum Zenone aut Aristotele, & hu-
ius doctrinam cum illorū, ut modestissime
dicam, præceptiunculis cōferre uelle? Affin-
gant illi suæ sectæ principibus, quantū pos-
sunt, aut quantum libet, Certe solus hic e cæ-
lo profectus est dolor, solus certa docere po-
tuit, cum sit æterna sapientia, solus salutaria
docuit unicus humanæ salutis author, solus
absolute præstitit, quicquid unquam docuit,
solus exhibere potest, quicquid promisit. Si
quid à Chaldæis aut Aegyptijs adferit, id ob
hoc ipsum acrius auemus cognoscere, quod
e peregrino sit orbe deportatū, & pretij pars
est e longinquo uenisse, & sæpenumero in so-
mnijs

mn̄s homunculi, ne dicam impostoris, tam anxie distorquemur, nō solum nullo fructu, sed magno temporis dispēdio, ut ne quid addam grauius, tametsi iam hoc ipsum ut nihil accedat grauissimū est. At q̄ fit, ut huiusmodi cupiditas nō item Christianos titillet animos, quibus persuasum est, id quod res est, hanc doctrinam non ex Aegypto Syriaue, sed ex ipso uenisse cælo? Cur non ita nobiscū cogitamus omnes? nouū & admirabile philosophiæ genus sit, oportet, quod ut traderet mortalibus, ijs q̄ deus erat, factus est homo, qui immortalis, factus est mortalis, q̄ in corde patris erat, sese demisit in terras. Magnū quiddā & haud quaquam triuiale sit, oportet, quicquid illud est, q̄d ille tā admirandus author, post tot excellentiū philosophorū familias, post tot insignes pphetas, docturus aduenerit. Cur nō hic pia curiositate singula cognoscimus, discrimus, excutimus? Præsertim cū hoc sapiētiae genus, tam eximiū, ut semel stultā reddiderit uniuersam huius mūdi sapientiā, ex paucis hisce libris, uelut è limpidissimis fontibus, haurire liceat longe minore negotio, quā ex tot uoluminibus spinosis, ex tam immēsis, ijsq̄ inter se pugantibus interpretum commentarijs, Aristotelicam doctrinam, ut ne addam, quanto maiore cū fructu.

E cælo uenit.

Præstantia philosophiæ christianæ.

Quibus
instructū
oporteat
esse, qui
Christia-
nam phi-
losophiā
discere cu-
piat.
Facilitas.

Ab idiotis
etiā legi
debent
diuinæ li-
teræ.

Nihil enim hic necesse est, ut tot anxīs disci-
plinis instructus accedas. Simplex & cuius
paratum est uaticū. Tantum fac adferas pi-
um ac promptum animū, & in primis simpli-
ci puraq; præditum fide. Tantū esto docilis,
& multum in hac philosophia promouisti.
Ipsa suppeditat doctorem spiritum, qui nulli
se se lubētius impartit, quā simplicibus ani-
mis. Illorū disciplinæ, præterquam quod fals-
sam promittunt felicitatem, multorum inge-
nia submouent, ipsa uidelicet præceptorum
difficultate. Hæc om̄ibus ex æquo sese accō-
modat, submittit se paruulis, ad illorum mos-
dulum sese attēperat, lacte illos alens, ferens,
confouens, sustinens, omnia faciens, donec
grandescamus in Christo. At rursus ita nō
deest infimis, ut summis etiam sit admirabi-
lis. Imō quo longius in huius opes p̄gressus
fueris, hoc longius illius maiestate submoue-
ris. Paruis pusilla est, magnis plusquam ma-
xima. Nullam hæc ætatem, nullum sexum,
nullam fortunam, nullam reñcit conditionē.
Sol hic nō perinde communis, & expositus
est om̄ibus, atq; Christi doctrina. Non arceat
omnino quenquā, nisi quis semet arceat,
ipse sibi inuidens. Vehementer enim ab istis
dissentio, qui nolint ab idiotis legi diuinas li-
teras, in uulgi linguam transfusas, siue quasi
Christus

Christus tam inuoluta docuerit, ut uix a pau-
 culis theologis possint intelligi, siue quasi res
 religionis Christianæ præsidium in hoc situm
 sit, si nesciatur. Regū mysteria celare fortasse
 fatius est, at Christus sua mysteria quāmma-
 xime cupit euulgari. Optarim ut omnes muli-
 erculæ legant euangelium, legant Paulinas
 epistolas. Atq; utinam hæc in omnes omniū
 linguas essent tranffusa, ut non solum à Sco-
 tis & Hybernis, sed à Turcis quoq; & Sarace
 nis legi cognosciq; possint. Primus certe gra-
 dus est, ut cūq; cognoscere. Esto riderēt mul-
 ti, at caperentur aliquot. Utinam hinc ad sti-
 uam aliquid decantet agricola, hinc nō nihil
 ad radios suos moduletur textor, huiusmodi
 fabulis itineris tædiū leuet uiator. Ex his sint
 omnia Christianorū omnium colloquia. Ta-
 les enim fermè sumus, quales sunt quotidia-
 næ nostræ confabulationes. Assequat quisq;
 quod potest, exprimat quisq; quod potest.
 Qui posterior est, non inuideat præcedenti,
 qui prior est, inuitet sequentem, nō desperet.
 Cur professionem omniū communē ad pau-
 cos contrahimus? Neq; enim consentaneum
 est, cū baptismus ex æquo cōmunis sit Chri-
 stianorum omniū, in quo prima Christianæ
 philoiophiæ professio est, cū sacramenta cæ-
 tera, deniq; cum præmium illud immortalitatis

Cognit

Theol
gi.
Mona
Essequ
audiu
id est,
cantur

A / tatis

10 DES ERASMI ROT.

Iste audit
fur, hoc ē,
uocatur.

Vere thes
ologus

tatis ad omnes ex æquo pertineat, sola dogmata, in pauculos istos esse releganda, quos hodie uulgus theologos aut monachos uocat, quos ipsos tamen, tametsi minima quæpiam portio suut ad populum Christiani nominis, tamen hos inquam ipsos optarim maiorem in modum esse quod audiunt. Vereor enim ne inter Theologos reperire liceat, qui multum absint à suo titulo, hoc est, qui terrena loquuntur nō diuina, & inter monachos, qui Christi paupertatem & mundi contemptum profitentur, plusquam mundum reperias. Is mihi uere Theologus est, qui nō syllogismis arte contortis, sed affectu, sed ipso uultu atq; oculis, sed ipsa uita doceat aspernādas opes, Christiano nō esse fidendum huius mundi præsiidijs, sed totū oportere pendere de cælo, non esse retaliandam iniuriam, bene precandum male precantibus, bene merendum de male merentibus, bonos omnes uelut eiusdem corporis membra diligendos ac fouendos ex æquo, malos tolerandos, si corrigi nequeāt, qui suis exuuntur bonis, qui depelluntur possessiōibus, qui lugent hos beatos esse non deplorandos, mortem optandam etiam pijs, ut quæ nihil sit aliud, quam traiectus ad immortalitatem, hæc inquam & huiusmodi, si quis afflatus spiritu Christi prædicet, inculcet,

cet, ad hæc hortetur, inuitet, animet, ijs de-
 mum uere theologus est, etiamsi fossor fue-
 rit aut textor. Hæc si quis & ipsis præstet mo-
 ribus, ijs deniq; magnus est doctor. Qua ra-
 tione intelligant angeli, fortasse subtilius dif-
 ferat alius, uel non Christianus, at illud pers-
 suadere, ut hic puri ab omnibus inquinamē-
 tis uitam exigamus angelicā, id demū Chri-
 stiani theologi munus est. Quod si quis ob-
 strepet, hæc esse crassula, & idiotica, nihil ali-
 ud huic responderim, nisi qd hæc crassa Chri-
 stus præcipue docuit, hæc inculcant aposto-
 li, hæc quantūuis idiotica, tot germane Chri-
 stianos, tot insigniū martyrum examina no-
 bis prodiderunt. Hæc inquam illiterata, ut
 ipsis uidetur, philosophia, sūmos orbis prin-
 cipes, tot regna, tot gentes, in suas ptraxit le-
 ges, id quod nulla Tyrannorū uis, nulla phi-
 losophorū poterat eruditio. Neq; uero repu-
 gno, quo minus sapientiā istam, si uidetur, lo-
 quātur inter pfectos. At hoc certe nomine cō-
 solet sese humile Christianorū uulgus, quod
 istas snbtilitates, an sciuerint apostoli, uide-
 rint alij, certe nō docuerunt. Hæc inquā plæ-
 beia, si præstarēt pro sua sorte principes, si in-
 contionibus inculcarēt sacerdotes, si pueris
 instillarēt ludimagistri potius quā erudita
 illa, ex Aristotel' & Auerrois deprōpta fōtib',
 non sic

Magnus
doctor.

Munus.
Theologi
Chriani.
Chri do-
ctrinam.
crassā uo-
cāt & idia-
oticam.

Apostoli
subtilita-
tes nō do-
cuerunt.

non sic perpetuis penè bellis tumultuaretur
 undiq; res Christiana, nō tam infano studio,
 per phas nephasq; congerendi diuitias ferue-
 rent om̄ia, non tot litibus ubiq; perstreperēt
 sacra pariter ac prophana. Deniq; non titulo
 tantum & ceremonijs differemus ab ijs qui
 Christi philosophiam nō profitētur. Siqui-
 dem in his tribus hominum ordinibus præ-
 cipue situm est Christianæ religionis uel in-
 staurandæ uel augendæ negocium, in princi-
 pibus, & qui horum gerunt uices magistrati-
 bus, in episcopis, & horum uicarijs, sacerdo-
 tibus, & in his qui primam illam ætatem ad
 omnia sequacem, instituunt. Quos si omisso
 suo negotio cōtingat ex animo conspirare in
 Christum, nimirū uideremus haud ita mul-
 tis annis uerum quoddam, ut & Paulus inq̄t,
 γυνήσιον Christianorum genus passim emer-
 gere, quod Christi philosophiam, non cere-
 monijs tantum, & propositionibus, sed ipso
 pectore, totaq; uita referret. His armis longe
 citius pellicerētur ad Christi fidem Christia-
 ni nominis hostes, quàm minis, aut armis.
 Ut omnia iungamus præsidia, nihil ipsa ue-
 ritate potentius. Platonius non est qui Pla-
 tonis libros nō legerit. & Theologus est, nō
 modo Christianus qui Christi literas non le-
 gerit. Qui diligit, inquit, me, sermones me-
 os

Principes

Episcopi.
Ludimag-
istri.γυνήσιον
id est, ger-
manum,
hoc est,
uerum.

Veritas.

os seruat, hanc ipse notam præscripsit. Proinde si uere ex animo sumus Christiani, si uere credimus illum è cælo missum, ut ea nos doceret, quæ philosophorum sapientia nō poterat, si uere expectamus ab eo, quod nulli principes, quantumuis opulenti donare queunt, cur est nobis quicquam huius literis antiquius? Cur omnino quicquam uidetur eruditum, quod ab huius decretis dissidet? Cur in his adorandis literis, idem, ac penè dixerim plus, nobis permittimus quàm in Cæsareis legibus, aut medicorum libris sibi permittunt interpretes prophani? ut perinde quasi in re ludicra uersemur, ita quicquid in buccam uenerit, commentemur, detorqueamus, inuoluamus. Cælestia dogmata, ceu Lydiam regulam, ad nostram pertrahimus uitam, & dum omnibus modis fugimus, ne parum multa scisse uideamur, quicquid usquam est prophanarum literarum huc conuehentes, id quod est in Christiana philosophia præcipuum, non dicam corrupimus, sed, quod negari non potest, ad paucos homines contrahimus rem, qua Christus nihil uoluit esse communius. Hoc philosophiæ genus in affectibus situm uerius, quàm in syllogismis, uita magis est quàm disputatio, afflatus potius quàm eruditio, trāsformatio magis quàm ratio.

Temeritas quorundam Philosophia christiana quibus in rebus, & quid.

ratio. Doctos esse, uix paucis cōtingit, at nulli non licet esse Christianum, nulli non licet esse pium, addam audacter illud, nulli non licet esse Theologum. Iam facile descendit in animos omnium, quod maxime secundum naturam est. Quid autē aliud est Christi philosophia, quam ipse renascentiā uocat, quam instauratio bene conditæ naturæ? Proinde quanquam nemo tradidit hæc absolutius, nemo efficacius quam Christus, tamē permulta reperire licet in ethnicorū libris, quæ cum huius doctrina p̄sentiāt. Nulla fuit unquam tam crassa factio philosophiæ, quæ docuerit pecuniam, hominem reddere felicem, nulla tam impudens, quæ in uulgaribus istis honoribus aut uoluptatibus finem boni constituerit. Viderūt Stoici, neminem esse sapientem, nisi bonum uirum, uiderunt, nihil esse uere bonum aut honestū, præter ueram uirtutem, nihil horrendum aut malum, præter unum turpitudinem. Iniuriam non esse pensandam iniuria, multis modis apud Platonē docet Socrates, item cum immortalis sit anima, non esse deplorandos, qui cum fiducia, bene actæ uitæ hinc demigrant in uitam feliciorē, præterea animā omnibus modis abducendam ab affectibus corporis, & ad ea traducendam, quæ uere sunt, cum non uideantur. Nullam rem nobis suauē esse posse, quæ non

Philosofia
hia chri,
nstauratione
bene
conditæ
naturæ.

ethnici.

stoici.

ocrates.

non

non aliquo modo contemnatur, in politicis scripsit Aristoteles, una uirtute excepta. Nihil in uita homini suaue esse posse, nisi adsit animus nullius mali sibi conscius, unde ceu fonte scatet uera uoluptas, fatetur & Epicurus. Quid quod magnam huius doctrinae partem praestitere non pauci, praecipue Socrates, Diogenes, & Epictetus? At eadem cum tanto plenius & docuerit & praestiterit Christus, an non prodigij simile, haec a Christianis uel ignorari uel negligi, uel etiam rideri? Si sunt quae propius pertinent ad Christianismum, his antiquatis, illa sequamur, sin haec sola sunt, quae uere Christianum possint efficere, cur haec propemodum magis pro obsoletis & abrogatis habemus, quam libros Mosaicos? Primum autem est scire quid docuerit, proximum est praestare. Neque enim ob id opinor, quisquam sibi Christianus esse uideat, si spinosa, molestaque uerborum perplexitate, de instatibus, de relationibus, de quidditatibus ac formalitatibus disputet, sed si quod Christus docuit & exhibuit, id teneat exprimatque. Non quod horum studiū damnē, qui in arguendis huiusmodi non sine laude exercuerunt ingenij sui uires, nolim emoffēdi quēquam, sed quod existimē, & uere, ni fallor, existimo, puram ac germanā illam Christi

Aristoteles.

Epicurus

Christus.
Decreta
chri. p ob
soletis ha
bemus.
Hec argu
tum faci
unt at non
Christia
num.

Ex euāge
licis & as
postolicis
literis ger
mana.

Chri phi
lophiam
feliciss
mehaus
ritur,

Utilitas.

Literę ho
minum.
Chrs non
minus no
bis præ
sens est in
euangeli
cis literis,
quàm cū
uiueret.

Christi philosophiam, non aliunde felicius hauriri, quàm ex euangelicis libris, quàm ex Apostolicis literis, in quibus si quis pie philosophetur, orans magis quàm arguens, & transformari studens potius quàm armari, is nimirum comperiet nihil esse quod ad hominis felicitatem, nihil quod ad ullam huius uitæ functionem pertineat, quod in his non sit traditum, discussum, & absolutum. Siue quid discere cupimus, cur alius autor magis placet quàm ipse Christus? Siue uiuendi formam requirimus, cur aliud nobis prius est exemplum, quàm Archetypus ipse Christus? Siue pharmacum aliquod aduersus molestas animi cupiditates desideramus, cur alibi putamus remedium esse præsentius? Siue cupimus residem ac languescētem animum expergefacerere lectione, quaeso ubi reperias igniculos æque uiuos & efficaces? Siue uisum est animum ab huius uitæ molestiis auocare, cur aliæ magis placent delitiæ? Cur statim malumus ex hominum literis, Christi sapientiam discere quàm ex ipso Christo? qui quod pollicitus est se semper nobiscum fore usque ad consummationem sæculi, in his literis præcipue præstat, in quibus nobis etiamnum uiuit, spirat, loquitur, penè dixerim efficacius, quàm cum
inter

inter homines uersaretur. Minus uidebant, minus audiebāt Iudæi, quàm tu uides & audis in Euangelicis literis, tantum ut oculos & aures adferas, quibus ille cerni & audiri possit. Quid tandem hoc rei est? Literas ab amiculo scriptas, seruamus, exosculamur, circumferimus, iterum atque iterum relegimus, & tot sunt millia Christianorum, qui cum alioqui docti sint, Euangelicos & Apostolicos libros, ne legerint quidem unquam in omni uita. Mahumetæi sua tenent dogmata, Iudæi & hodie ab ipsis cunabulis suū ediscunt Mosen. Cur nos non idem præstamus Christo? Qui benedicti profitentur institutum, regulam ab homine, eoque penè idiota, & idiotis scriptā, tenent, ediscunt, imbibunt. Qui Augustiniani sunt ordinis, authoris sui regulam callent. Frāciscani Francisci sui tradiunculas adorant, amplectuntur, & quoquo terrarum se contulerint, secum circumferunt, tutos se non credunt, nisi libellus adsit in sinu. Cur illi plus tribuunt regulæ ab homine scriptæ, quàm uniuersi Christiani suæ regulæ, quàm omnibus tradidit Christus, quam omnes ex æquo professi sunt in baptismo? Denique qua (ut sexcentas etiam addas) nulla possit esse sanctior? Atque utinam fiat, ut quemadmodum Paulus scripsit. Mo-

Homini

Deus.

B

si legem

um uo
m.heolo
a recēs.

b autho

si legem non fuisse gloriosam præ gloria suc-
cedentis Euangelij, ita Christianis omnibus
Euangelia & Apostolorum literæ ita sanctæ
habeantur, ut hæc præ illis non uideantur esse
sancta. Quid Alberto magno, quid Alexan-
dro, quid Thomæ, quid Aegidio, quid Ri-
cardo, quid Occam alij uelint tribuere, per
me sane cuique liberum erit, nolim enim cu-
iusquam imminuere gloriam, aut cum inue-
teratis iam hominum studijs dimicare. Sint
illa quantumuis erudita, quantumuis subti-
lia, quantumuis si uelint seraphica, hæc ta-
men certissima fateantur oportet. Paulus di-
iudicari uult spiritus prophetarum, num ex
deo sint. Augustinus omnes omnium libros
cum iudicio legens, nihilo plus iuris postu-
lat & suis. In his solis literis, & quod non as-
sequor, tamē adoro. Hunc authorem nobis
non schola Theologorum, sed ipse pater cæ-
lestis, diuinæ uocis testimonio comproba-
uit, idque bis, primum ad Iordanem in bap-
tismo, deinde in monte Thabor in transfigu-
ratione, Hic, inquit, est filius meus dilectus,
in quo mihi complacitum est, ipsum audite.
O solidam auctoritatem, uereque (ut isti uo-
cant) irrefragabilem. Quid est ipsum audi-
te? Nimirum, hic unicus est doctor, huius
unius discipuli sitis. Attollat studijs suū quæ-
quantum

quantum uolet authorem, hoc de uno citra
 exceptionem dictum est Christo. In hunc pri-
 mum descendit columba, paterni testimo-
 nij comprobatrix. Huius spiritum proxime
 refert Petrus, cui summus ille pastor oues su-
 as semel iterum ac tertio pascendas commi-
 sit, pascendas autem haud dubiũ quin Chri-
 stianæ doctrinæ pabulo. Hic in Paulo ueluti
 renatus est, quem ipse uocauit organum ele-
 ctum, & insignem sui nominis preconem.
 Ioannes quod è sacrosancto illo pectoris fon-
 te hauserat, id suis expressit literis. Quid quæ-
 so simile in Scoto (nolim id contumeliæ cau-
 sa dictum uideri) quid simile in Thoma?
 Quanquàm illius ingenium admiror, huius
 etiam ueneror sanctimoniam. Cur nõ in his
 tantis authoribus philosophamur omnes?
 Quin hos sinu circũferimus, hos semper ha-
 bemus in manibus, qn in his uenamur, scru-
 tamur, disquirimus assidue? Cur maior ui-
 tæ portio datur Auerroi, quàm euangelijs?
 Cur tota penè ætas in hominum decretis, &
 inter se pugnantibus opiniõibus conteritur?
 Iam uero sint illa fane, si libet, sublimiũ The-
 ologorum. At in his certe sit futuri quõdam
 magni Theologi tyrociniũ. Quotquot in
 baptismo iurauimus in uerba Christi, si ta-
 men ex animo iurauimus, mox inter ipsos
 B 2 parentũ

Petrus

Paulus

Ioanne

Scotus

Thom

ri dog
tis im
edi pus

teræ hu
anæ.

uinae.

hastrã
rme
ur.


euãge
& apo
olicis li
ris spi
is est &
hri ima
o.

parentum complexus, & nutricum blandi-
tias; Christi dogmatis imbuamur. Nam &
altissime infidet, & tenacissime hæret, quod
primum rudis illa animi testula conbiberit.
Christum prima sonet balbuties, ex huius es-
uangelij prima formetur infantia, quem ita
cum primis tradi cupiam, ut & à pueris ame-
tur. In his deinde uersentur studijs, donec ta-
citis auctibus adolescãt in uirum robustum
in Christo. Aliorum literæ sunt eiusmodi, ut
non parum multos poenituerit insumptæ in
illis operæ, ac sæpenumero fit, ut qui per o-
mnem uitam pro tuẽdis illarum decretis ad
mortem usque depugnarunt, in ipsa morte
ab authoris sui factione desciscant. At felix
ille quem in hisce literis meditãtem mors oc-
cupat. Has igit̃ toto pectore sitiamus omnes,
has amplectamur, in his iugiter uersetur,
has exosculemur, his demum immoriamur,
in has transformemur, quando quidem abe-
unt studia in mores. Qui consequi non po-
test (quis autem id non potest, si modo ue-
lit) is saltem adoret hasce literas, ceu thecam
illius diuini pectoris. Si quis ostendat Chri-
sti pedibus impressum uestigiũ, quã pro-
cumbimus Christiani, quã adoramus? At
cur non potius uiuam illius & spirãtem ima-
ginẽ in hisce ueneramur libris? Si quis Chri-
sti

sti tunicam exhibeat, quo non terrarum pro-
 uolaturi simus, ut eam osculari liceat? At-
 qui ut totam illius suppellectilem proferas,
 nihil erit, quod Christum expressius ac ueri-
 us repræsentet, quàm euangelicæ literæ. Li-
 gneam aut faxeam statuam, amore Christi,
 gemmis auroquæ decoramus. Quin hæc po-
 tius auro gemmisquæ, & si quid his pretiosi-
 us, insigniuntur, quætãto præsentius Chris-
 tum nobis referunt, quàm ulla imaguncu-
 la? Siquidem illa, quid aliud quàm corpo-
 ris figurã exprimit? si tamẽ illius quicquàm Euangeli-
cæ literæ.
 exprimit, at hæ tibi sacrosanctæ mētis illius
 uiuam referunt imaginem, ipsumquæ Chri-
 stum loquentem, sanitatem, morientem, res-
 urgentem, deniquæ totũ ita præsentem red-
 dunt, ut minus uisurus sis, si coram oculis
 conspicias.

PARACLESEOS, ID EST,
 ADHORTATIONIS AD
 CHRISTIANAE PHI-
 LOSOPHIAE STV-
 DII FINIS.


MOGVNTIAE IN AEDIBVS
CIRCUNSPLECTI VIRI
IOANNIS SCHOEF-
FER, ANNO.M
D. XX. MEN
SE IANV
ARIO.




66977

AB 66977

(X 1978936)





PARACLESIS

ID EST, ADHORTATIO AD
sanctissimum ac saluberrimū Chris-
tianæ philosophiæ studiū,
ut uidelicet Euangelicis
ac Apostolicis literis
legendis, si non
sola, sal-
tem prima cura
tribuatur, Authore
DES ERAS. ROT.

